

www.e-rara.ch

**Plotini Platoniorum facile coryphæi Operum Philosophicorum Omnium Libri
LIV. In Sex Enneades Distributi**

**Plotinus
Poliziano, Angelo
Dazzi, Andrea
Porphyrius**

Basileæ, MDXXC. [1580]

Universitätsbibliothek Bern

Shelf Mark: MUE Gross O 44

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-74031>

Marsilii Ficini in lib. octavum tertiæ enneadis, de natura, et contemplatione, & uno. Commentarius.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

βασιν αὐτῶν, διατὶ οὐκ ταύτῃ μὲν τὴν κί-
νησιν τὴν τῶ παντὸς, ἀνίσταμεν εἰς περὶ τοῦ
ἐκείνης, καὶ ἐν χρόνῳ φάμεν, ἔχει δὲ γε καὶ
τὴν τῆς ψυχῆς κίνησιν τὴν ἐν αὐτῇ ἐν δι-
ξοδῶ ἔσαν αἰδίῳ, ἢ ὅτι τὸ πρὸ αὐτῆς ἐστὶν
αἰῶν, ἔστω παραθέων, ἔστω συμπαρατείνων
αὐτῇ. πρώτη οὐκ αὐτῇ εἰς χρόνον, καὶ χρόνον
ἐγέννησε, καὶ τῇ ἐνεργείᾳ αὐτῆς ἔχει. πᾶς
οὐκ πανταχῶ, ὅτι καὶ ἐκείνη ἔδενος ἀφ᾽ ἑσῆκε
τῶ χρόνου μέρες, ὥς περ ἔστω ἢ ἐν ἡμῖν ἔδε-
νος ἡμῖν μέρες. εἰ δὲ τις ἐν ἔχ᾽ ὑποσέσει ἢ
ἐν ἔχ᾽ ὑπάρξει τὸν χρόνον λεγοί, δηλονότι
ψεύδεσθαι, καὶ τὸ θεὸν αὐτὸν, ὅταν λέγῃ
καὶ ἔσαι. ἔτω γὰρ ἔσαι καὶ λέγῃ, ὡς τὸ ἐν ᾧ λέ-
γει αὐτὸν ἐσεσθαι: ἀλλὰ πρὸς τὰς τοιαύτας,
ἀλλὰ τὸν τρόπον λόγων, ἐκείνο δὲ ἐν ἡμῖν
δὲ πρὸς ἀπασὶ τοῖς ἐρημένοις, ὡς ὅταν τις
τὸν κινούμενον αἰσθάνῃ λαμβάνῃ, ὅσον περὶ
σελήνῃ, καὶ τὴν κίνησιν λαμβάνῃ ὅση, καὶ
ὅταν τὴν κίνησιν, οἷον τὴν διὰ σκελῶν, ὅρα,
τῶ, καὶ τὸ πρὸ τῆς κινήσεως ταύτης ἐν αὐτῇ
κίνημα, ὅτι ποσὸν λέγῃ, εἰ γε ἵπποστρον συ-
νείχε τὴν κίνησιν τῶ σώματι. τὸ μὲν δὲ
σῶμα τὸ κινούμενον τὸν ποσὸν δεχόμενον, ἀν-
αίτιον δὲ τὴν κίνησιν τὴν ποσὸν δεχόμενον (αὐτῇ γὰρ
αἰτία) καὶ τὸν χρόνον ταύτης: ταύτῃ δὲ, ἐπὶ
τὴν τῆς ψυχῆς κίνησιν, ἢ τις τὰ ἴσα διεσῆ-
κε. τὴν οὐκ κίνησιν τῆς ψυχῆς, εἰς π. εἰς ὃ γὰρ
ἐβλήσκει, ἀδιάστατον ἢ δὲ τῶ τῶν τῶ πρῶ-
τως, καὶ τὸ ἐν ᾧ τὰ ἄλλα: αὐτὸ δὲ, οὐκ ἐστὶ ἐν
ᾧ. ἔστω ἔξαι, τῶ τῶν τῶ πρῶτως, καὶ ἐπὶ
τῆς ψυχῆς τῶ παντὸς ὡς αἰτίας. ἀρ' οὐκ ἔχῃ
ἐν ἡμῖν χρόνος, ἢ ἐν ψυχῇ τῇ τριαύτῃ πάσῃ,
καὶ ὁμοειδῶς ἐν πάσῃ, καὶ αἰ πάσαι μία.
διὸ ἔστω ἀσπαδῆσεται ὁ χρόνος, ἐπεὶ ἔστω
ὁ αἰὼν ὁ κατ' ἄλλο ἐν τοῖς ὁμοειδέσι πᾶσι.

omni, & omnes quodammodo sunt vna. Quapropter non dispergetur tempus: quandoquidem
neq; æternitas quæ secundum aliud in vniformibus cunctis existit.

A ficiat actionum. Curnam igitur motum qui-
dem hunc vniuersi reducimus in illius ambi-
tum, & in tempore versari fatemur? Non ta-
men & motum animæ in se vigentem, per-
petuaque discurfione progredientem. forsan
quia quod super hunc motum extat, æternitas
est, neq; concurrens cum motione, neq; simul
extendens aut extensa. Primus igitur ille mo-
tus respicit tempus & generat, simulq; cum sua
possidet actione. Quo igitur modo tempus est
B ubiq;? Quoniã videlicet anima vitaq; illa ino-
tusq; vitalis à nulla vsquam mudi parte abest:
quemadmodum & talis in nobis vita partem
nostri deserit nullam. Si quis autem obijciat
tempus in quadam non substantia, siue nõ exi-
stentia versari, mentiri enim circa ipsum esse,
quemadmodum de deo dicitur, mētiri nos cir-
ca ipsum erat & erit: sic enim erat & erit, vt il-
lud in quo quis dicat ipsum fore, quidnam di-
cemus? Verum ad hæc alia quædam ratio di-
sputandi requiritur. Hoc autē animaduerten-
dum est in presentia ad ea quæ dicta sunt, quòd
quãdo quis circa hominem qui mouetur con-
siderat quantum processit, quantum quoque sit
motus agnoscat, & quando motum velut per
C ciura progressu iudicat, simul motionē ipsam
ante hunc progressum in homine cogitat, vide-
licet fuisse tantam: siquidem in tantu vsq; cor-
poris progressionem regendo cōtinuauit. Cor-
pus quidem motum tanto tempore, rediget in
D motum propriē tantum. Hæc enim causa est, &
in huius tempus, hunc verò motum in ipsum
animæ motum, qui secundum æqualia produ-
xerat interuallum. Ipsum itaq; motum animæ
in quid potissimū referemus? Certè in quod-
cunq; referre volueris, in aliquid defines pror-
sus indistans. Hoc igitur hic existit primò,
ipsumq; est in quo cætera continentur: ipsum
verò non amplius in alio. Nõ enim habere po-
test quo comprehendatur. Hoc igitur primò
E regnat. In anima quoque totius similiter se res
habet. Num igitur & in nobis est tempus? For-
san in omni anima tali, & vniformiter est in o-

MARSILII FICINI IN

LIB. OCTAVVM TERTIAE EN-

NEADIS, DE NATVRA, ET
contemplatione, & vno.

COMMENTARIVS.

SVMMMA TOTIVS LIBRI.

Naturalia fiunt à vita quadam agente per rationes quasi contem-
platiuas, sibi infusas ab intellectu diuino.



PHILOSOPHI quondã nonnulli simpliciter naturales, putabant naturalia omnia à qua-
litate quadam elementalī motuq; generari: ac talia prouenire vel talia pro virtute qualitatis, quæ
in agente vigeret, & pro efficacia motus inde in materiam desinentis, nec his præesse rationem
vllam modò intimæ artis agentem. Plotinus autem corporales qualitates, & motus duci vult ab
incorporea forma non subiecta motibus, sed præsidente: quam vocat naturam vniuersalem atque
primam. Formam dico substantialem atq; vitalem, quæ nec vlla sit corporum qualitas, vt possit omnes pariter pro-
creare, nec solo impetu motus agat, vt disponere possit omnia moderamine certo: sed agat sua quadam ratione fore
mali, & naturali quadam arte: perinde ac si artificiosa ratio, quæ est accides in artifice, sit aliquid per se suū sistens;
F 2

quamuis intra materiam: atq; ita suapte natura agat artificiose, vt artifex artificiose agit electione: imò sic naturali arte agat artificiose, sicut ignis naturali calore naturaliter calefacit. Huic ergo viue naturalis rationi parent qualitates & motus, vt instrumenta: tametsi absq; motu corporeo, corporeum edit motum, & sine qualitate ignis generat ignem: ac sine manifesto semine passim viuientia generat: vtpote quæ essentialis in se habeat, & viuas omnium rationes: quod satis in theologia nostra probamus, & ita in præsentia breuiter confirmamus. Superius tritionem & augmentum, quæ sunt generationes quædam, est ipsa simpliciter generatio, quæ & in his omnibus reseruatur. Cum igitur hæ generationes quædam, vitarum quarundam vel quorundam viuientium opera sint, nimirum ipsa simpliciter & prima communis generatio est opus simpliciter vitæ, vitæq; communis totum regentis mundum. Atq; cum in mole mundi non sint certa vbiq; semina corporaliū manifesta, profectò in ipsa totius vitæ sunt semina, & propriæ rationes seminum rerumq; sensibus apparentium. Natura enim quæ sine electione facit, instat forma facit, & certas vbiq; formas certis necessariò formis, id est, rationibus seminalibus: quibus sane tanquam principijs atq; regulis motus omnes, qui per se indeterminati sunt, certo quodam tenore definit, & qualitates quæ toto impetu agunt quicquid agunt, & cohibite sunt naturaliter in angustum, librata quadam moderatione ducat ad opus: & id quidem multiforme, vniiformi tamen ordine. Nec aliter certum ubiq; finem spectet, in his quæ ipsa non vident finem, quam ars soleat & cõsiliū. Ars hæc viuens atq; naturalis omnes in se secundũ actum naturales continet formas, non aliter quam ars humana possideat artificia. Materia enim quæ in potentia formas bili semper ad omnes, non aliter ad actum perducitur omnium, quam per vitam materiæ quidem præidentem, sed cognatam in se omnes actum comprehendentem. Natura quidem hæc artifex omnium, neq; materia quadam tali vel tali, neq; ipsa simpliciter materia ad suam indiget existentiam. Ipsa enim materiam quotidie talem reddit, atq; talem, materiamq; expedito mouet imperio. Iam verò nec qualitate hac vel illa materiæ indiget ad suam simpliciter actionem. Potest enim qualitates absq; qualitatibus generare: quippe cum ipsa sit commune principium ad omnes pariter generandas. Ac si generat passim viua sine seminibus manifestis, magis potest qualitates elementales per semina sua tantum sine elementorum talium ministerio procreare. Quod si vitur materia qualitatibus certis affecta, non quidem necessitate eiusmodi qualitatibus vitur, sed per accidens. Quod sanè confirmatur ab illis qui in generatione resolutionem forisq; ad primam materiam abiciuntur. Proinde memento naturam eiusmodi esse verum generationis vbiq; principium. Forma namq; materialis quia formarum est vltima, formale nihil propriè generat. Quod enim in aliquo genere postremum est, nihil gignit in eo. Est ergo materialis forma non tam generationis principium, quam affectio quædam materiæ inducitur desuper ab occulto principio speciem generante. Quod autem nihil generet, confirmatur ex eo, quia generatio ad vitam pertinet: hæc autem uita caret: vita verò carere constat ex eo, quoniam oportet essentiam vltius proficisci quam vitam: nec tamen usq; ad materiam procedit essentia: siquidem neq; forma. In qualitatem igitur essentia definit, et id quidem intrinsecus definit, ergo vita in naturam similiter super materiæ qualitatem. Natura quidem hæc incorporea est. quod enim corporeum est, si mouet quicquam, interea & mouetur, mouetur inquam etiam in substantia. Primum verò mouens est quod substantia permanet, vt perpetuum continuare queat in motu tenorem. Si tamen est motor intimus familiarisq; velut forma quædam, qualis est ipsa natura, oportet dum mouet, etiam quodam pacto moueri per modum quendam potius sui alium atq; alium, non per essentiam aliquando declinantem. Deniq; sicut in quolibet animato nō qualitas elementalis, sed vitalis quædam ratio principium est eorum quæ in corpore sunt, & super & contra qualitatū eiusmodi modum: sic in vniuerso viuente, id est, mundo, non elementalis qualitas aut motus, tam pulchra, tam diuersa, sed ratio quædam viua dispensat, quam Plotinus ait in seipsa per essentiam permanere, quamuis in affectionem actum aliam vicissim ex affectione mutetur. Neq; à materia dependere pariter, & ab anima, sicut & corporea qualitas: sed ab anima tantum, velut perennem actum animæ vergentem erga materiam. Ideo qualitatem Plotinus corpoream appellat accidens, quoniã utrinq; dependeat: vitam verò ab anima communicatam corpori, non accidens corporis, neq; rursum animæ accidens, sed essentialē actum animæ, quasi medium inter verum accidens, veramq; substantiam, quæ vsque ad intellectualem progreditur animam: siquidem virtutem aliquam habet, qua seipsam quodammodo sustineat, & conseruet, & in seipsa proficiat: quo quidem munere omnes intellectuales essentia per se & ex se subsistere dici solent. Sed vt ad naturam redeamus, id est, vitam ab anima dependentem, in hac sunt rationes omnes formarum naturalium productrices, ipsaq; in ea ratio quælibet non notio quædam est, ex argumento vel indagine quandoq; concepta: sed essentialis proprietas atq; actus essentia non differens ab esse tali quodam atq; tali. Est igitur in natura seminalis quædam ratio, eius quod inde gignitur: quæ quamuis sit actus essentialis nature ipsius, ipsumq; suum esse tale: tamen translatione quadam nominatur intuitus non acquisitus aliquando, sed naturaliter illic affixus: non querens aliquid, sed ab initio possidens: neq; animaduertens in se aliquid, sed quasi stupidus, qualis in attonitis esse solet. ac fortè talis quidam sensus, qualem nonnulli plantis attribuebant. Nam & hæc est communis vniuersi planta per suum quendam quietum substantialemq; sensum sua vita fruens, naturaliaq; concipiens: atq; hunc sine strepitu sensum, id est, sine distractione sui ad aliud Orpheus nature tribuit in hymno nature. In natura quidem intueri nihil aliud est, quam esse tale, & tale quiddam facere. Et quoniã quasi quodam intuitu & spectamine facit: ideo quod gignitur in materia, spectaculum dici potest: atq; ita insuper spectamen appellari naturæ, vt solemus in puero dicere: signum hoc huic ingentum, est quædam concupiscentia & imaginatio matris. Omnino verò neq; in intellectu neq; in natura est vlla cognitio, vel notio, vel intuitus sic ab esse differens, sicut differre solet intuitus, qui consideratio dicitur, qualis est in illis, qui rem ipsam quam spectant, non possident naturaliter. Intellectus autem, & natura quæ à substantia intellectuali dependet, naturaliter possident, imò sunt illa ipsa quæ intuentur & faciunt intiendo: quem quidem essentialē efficacemq; intuitum, appellat seminariam rationem. Primam quidem rationem ponit in ipso simpliciter intellectu: secundam in anima intellectuali, quam primam nominat animam: tertiam in natura, quam secundam animam nominat: quartam in materia, id est, materialem formam. Formæ quidem rerum primæ in ipso sunt intellectu, suntq; ibi contemplationes vel contemplamina quædam. Dicimus autem contemplamina vel spectamina, notiones omnium, siue cõceptus ibidem resultantis interea.

dum intellectus seipsum contemplatur, & spectat. Secundæ uerò formæ ab intellectu contemplante in animam intellectualem naturaliter exprimentur: suntque hic etiam contemplamenta quædam. Tertiæ imprimuntur hinc in naturam. Quæ cum ex amissim ex contemplationibus exprimentur, sunt & ipsæ contemplationes quædam, ne totiens dixerim contemplamina. Quartæ tandem ex ipsis contemplatiuis naturæ conceptibus concipiuntur in materia mundi. Et quoniam prædictas contemplationes sequantur ordine quodam, et imitantur ad unguem, contemplationes quædam nominari possunt. Artificia sanè ad visum spectantia dici solent intelligentiæ quæ tam ingeniaque artificis: multo magis soni musici: magis insuper cantus: quoniam cogitationem expressiorem affectumque viuum seculum ferunt, maxime verba siue prolata siue scripta. Formæ igitur naturales in primis id habet, ut & appellentur, & sint intelligentiæ quædam, conceptusque expressi ipsius intellectus naturæ, siue naturalis intelligentiæ. Natura enim ipsa rerum artifex, est potestas quædam viuæ intellectus animæ, figurans materiam, non alienam ut ars, sed suam: neque sicut ars extrinsecus, sed intrinsecus: neque electione tali, sed essentia tali ac sine instrumento, atque semper. Iam uerò in hoc natura differt à geometra puluerem figurante: quoniam hæc & intus, & sine instrumento electionemque facit: perinde sicut geometra dum uehementer, et affectu quodam figuras imaginatur, spiritum eius intimum imaginatione mouet, atque figurat. Fingit uerò Plotinus quatuor hæc, intellectum, animam intellectualem, naturam, materiam, esse quasi vitra quatuor subinde disposita: ipsasque primi intellectus intelligentias inde uelut à sole radios per animam, naturam, materiam pertransire, quasi continuas quadam conformitate: ut quodammodo dici possint idem radij, eademque intelligentiæ in sequentibus & postremis, qui & in præcedentibus esse, sed deinceps gradatim à priori dignitate deficientes. Cum uerò contemplatio intellectus primi, atque deinceps contemplatio quædam in anima, & natura naturalium sit principium, nimirum & finis omnium est contemplatio, quam & intellectualia perpetuo possident, & in eiusmodi sine feliciter conuiescunt, quam & rationalia querunt, ut in ea quandoque quiescant, quam & sensuaria per actum continuum sentiendi pro viribus imitantur, quam & quæ generant omnia, tam in ordine motus, tum in pulchra genituræ forma referre conantur. Denique diuinæ prouidentie contemplatio ad exactissimam dirigit omnia pulchritudinem, dum in tota dispositione rerum non minus, imò plus ornamento quam necessitati consulitur. Ex quo quidem ornamento mirabili mentes excitat ad ipsam diuinæ mentis artem inueniendam, & eiusdem pulchritudinem contemplandam.

De fine intellectualis naturæ. & quod in cognitione uera idem est cognoscens & cognitum. Et de gradibus vitæ & intelligentiæ, & quod intellectus primus est omnia, & perfectè totum.

In capite libri quinto sextoque notabis vitæ intellectualis finem esse non simpliciter, & quomodolibet habere bonum, sed bonum habitum intelligere: nam & hoc ipsum ibi est habere, scilicet intelligere. Hæc enim est actio intellectualis naturæ propria, & præcipua ratio possidendi. Item bonum nobis non sensibile quidem, sed intelligibile esse summum: quoniam hoc solum nobis est intimum, maximeque quietum, idemque est tandem cum ipsa cognoscendi potentia. Præterea memento potentiam cognoscendi in ipso cognitionis actu unum quodammodo fieri cum obiecto. Et quo magis sit unum, eo perfectiorem esse cognitionem, atque uicissim: & ubi perfectissima est, imò ubique uera, ibi unum idemque esse ipsa cognoscens potentiam atque cognitum. Intellectus igitur & intellectualis omnis essentia sicut est omnia semper actu, ita et actu cuncta semper intelligit. Rationalis uerò natura animæ omnia quidem scit, sed non semper in actu omnia. Et quatenus actu se confert in aliquam intra se latentium rationem, eatenus sit ipsa ratio, perque hanc intelligit quæ in huius uirtute comprehenduntur, & intelligendo fit illa. Summatim re uera cognoscere aliquid non est aliud, quam hoc ipsum esse uel fieri. Denique cum diuinus artifex ipsa contemplatione sui faciat omnia, & facta prouocet ad seipsum pro viribus imitandum, nimirum omnia contemplatiuum uel contemplabile aliquid appetunt, atque moluntur, siue intelligendo, siue sentiendo, seu etiam agendo, atque generando. Præterea in cap. 7. cognosces iterum omnem potentiam intellectualem, esse idem cum re intellecta, & in ea intelligere ab esse non discrepare, quia in genere cognitionis est summa: potentiam uerò rationalem fieri cum re cognita idem, sed intuitum sensus exterioris atque naturæ uergeret ad externum: Item primam formam ob summam eius ad motum efficaciam esse primam vitam, & ob efficaciam esse intimam, sui ipsius compotem esse intelligentiam primam. Sicut ergo per omnes rerum gradus procedit forma à prima forma per essentiam facta, sic & vitam intelligentiamque procedere, ut forma quælibet dici queat vita, & intelligentia quædam. Denique intellectum primum sicut uniformis est, propterea quod sit in eo genere primus: sic & omniformem fieri, propterea quod contemplando seipsum propter fecunditatem intelligentiæ sub varijs sese formis concipiat: ueruntamen in qualibet forma intra se concepta communem totius agnosci formam: ideoque esse totum quiddam perfectæ ratione totum, quia totum conseruetur in singulis: idque habere, quoniam sit unitissimum, ex eo quod unitati diuinæ sit proximum, à qua tamen degenerat. Quoniam in eo rationes rerum formales discrepant inter se ratione formali, perque gradus deriuantur à superiori quodammodo ad inferius, & à meliori similiter ad deterius: concludi in quolibet genere quod est primò totum esse perfectè: & ideo in qualibet sui parte totum: sic ens ipsum, sic ipsa vita, sic intellectus. Quod uerò sic est totum, non ita componitur ex suis, uelut quod ex partibus essentiam mutuatur: sed ipsa sui essentia esse dat partibus. Atqui eiusmodi totum quod se propagat in sua, quodue in singulis conseruatur, totum dicitur infinitum. Nam infinite quicquid in eo acceperis, consequuntur & reliqua.

Intellectus etiam primus est necessariò multiplex, & est omnia: igitur ante ipsum est principium omnium, quod non est omnia, sed super omnia.

Hæc in octauo cap. considerata videntur. Ratio namque intellectus hæc ipsa est quod moueatur, & illuminetur atque formetur: intelligibilis autem ipsius proprietates oppositæ sunt. Item in ipsa intellectus ratione non necessariò includitur, ut sit ipsum intelligibile: nulla enim necessitas prohibet esse aliquem intellectum, etiam si intelligatur à nullo, uicissim nec ad rationem intelligibilem necessariò pertinet, quod intellectus existat. Intellectualis namque potentia in ambitu obiecti sui comprehendit materialia simul & spiritalia, atque inter hæc continet quæ intelli-

gunt, & quæ non intelligunt. Intellectus igitur atq; intelligibile distinguuntur inter se quadam ratione formali, eiusmodi verò distinctio distinctioni quæ secundum rem appellatur proxima est. Hæc ipsa verò secundum rem distinctio postrema est: illa itaq; forma prima, in qua intellectus cum intelligibili copulatur, non est unitas simplicissima: non est igitur primum vniuersi principium, quod simpliciter vnum est atq; simplicissimum: quemadmodum quicquid est in aliquo genere primum, in eodem est necessario simplex. Esse verò intellectum quadam necessitate multiplicem, ideoq; non primum, sic etiam confirmatur: Si intellectus est summa cognitio, habet secum intelligibile coniugatum, scilicet re ipsa idem, quamuis non ratione idem: licet ipsum quod primo & secundum se intelligibile est, hoc habet & consequenter, ut sit etiam intellectus. Tale enim intelligibile est forma separata subsistens, ideoq; in se reflexa reportat intelligentiam. Res verò materialis si appellatur intelligibile, talis euadit, quatenus transformatur in aliud, vel per aliud intelligitur consequenter. Cum igitur intellectus atq; intelligibile se inuicem comitentur, adeo ut quod est alterutrum sit & alterum: atq; hæc differunt ratione formali, necessario intellectus primus est multiplex, neq; summum vniuersi principium. Dubitatur deinceps hunc in modum: principium ipsum quatenus est extra genus intelligentie, videtur esse sibi met ignotum: et quatenus super intelligibile genus extat, cognoscere nullo modo potest. Respondetur ad hæc: ipsum præstantiore quadam ratione quam cognoscendo seipso frui: atq; animam eo frui excellentiore forsitan cognitione, quam intellectualem, vel potius eminentiore quadam pacto, quam cognoscendo. Non enim intellectus simpliciterq; cognitio in nobis est summum, sed unitas boniformis, per quam prima fruimur unitate simul & bonitate: sicut & per luminosum sensum sensibili fruimur luminoso. Sicut ergo qui studet vehementer imaginari, à motu cessat & sensu: & qui penitus intelligere, imaginatione sedat: ita qui optat attingere quod super naturam intellectualem intelligibilemq; existit, omne prorsus intelligibile pertransire debet, & intellectum proprium posthabere, silentiumq; intelligentie prorsus imponere, reductus videlicet in aliquid sui primum, per quod fruatur vniuersi primo. Conclude aliud atq; aliud aliter atq; aliter se ipso frui. Corpus quidem animalis frui seipso per sensum, rationem verò non per sensum, sed per melius aliquid semetipsa frui: intellectum quoq; non per aliquem rationis discursum, sed per aliquid eminentius sui ipsius fieri compotem: similiter vnum ipsum atq; bonum per aliquid intelligentie cognitionemq; sublimius se ipso frui. Proinde si ab imperfectis ad perfectum gradatim est ascendendum, certe super imaginatione quæ per aliqua rerum genera tantum, et longo in super tempore discurrere solet, ponenda est ratio per omnia discurrens, ac tempore ad hoc indigens breuiore, & ubi est perfectissima, quam breuissimo. Super hanc intellectus omnia semper sine tempore consecutus: qui si perfectè habet in se videtq; omnia, non habet illa confusa, sed distincta sinceraq; non intuetur obscura, sed clara discernit atq; distincta. Super hunc igitur hac necessitate multiplicem primum est vniuersi principium, quod neque est duntaxat vnum aliquid omnium: alioqui non haberet ad omnia potestatem, nec omnium principium esse posset: neq; etiam est ita omnia tantum, ut non sit vnum atq; simplex. hoc enim primum est. Vbiq; verò prius est unitas multitudine, & composito simplex: neq; rursum est & vnum pariter atq; omnia. Si enim hoc ab aliquo concedatur, ita distinguimus: aut est cuncta summam, aut potius singularem: si summam, id est, quod ibi sit vna quædam forma cum multitudine: aut hæc vna forma est ante multitudinem, atq; ita hæc ipsa duntaxat principium est, neq; opus est, ad hoc ut sit principium, ei multitudine adhibere: aut vna hæc forma est cum multitudine simul: atq; ita non est principium omnium, quandoquidè ante omnia non existit: aut forma hæc vna post omnia ponitur, quo nihil dictu videtur absurdius. Sim autem accipiat alterum illud distinctionis membrum, scilicet quod principium illud omnium, sit ita omnia, ut de vnoquoq; oculis demonstrato discurrendo per singula, sit verum dicere, hoc est principium, sequetur ut quodlibet sit principium. Cū verò principium sit necessariò vnicū, vnica res erit in vniuerso: vel vicissim principia totidè, quot res esse ponuntur.

Ipsū bonum est super essentiam, vitam, intellectum, neq; intellectu potest attingi.

Cum in gradibus viuientium videamus, consummatissimū vitæ gradum esse tandè vitam intellectualem, conijcere possumus, primam in toto rerum ordine simpliciter vitam esse ipsum simpliciter intellectum. Siue igitur ut vitam consideras, est motio quædam ad terminum, ideoq; ad aliud, ut ad bonum: siue ut intellectum accipis, est motus aliquis ad verum, ut ad bonum: utroq; igitur pacto est dependens aliquid, neq; contentum est essentia sua, cuius vita & intellectus existit, sed quærit aliquid essentia melius, id est, ipsum bonum, quod neq; vita secundum formam, neq; intellectu indiget quo amittatur ad bonum: quandoquidè est ipsum bonum, cui nec ulla opus est actio: siquidem omnis actio est ad bonum, circa quod versatur. Quod quidè cum super intellectum & intelligibile prorsus existat, nomina verò ex intellectus conceptione imponi soleant, nullum proprium habet nomen. Appellatur autem bonum, quoniam inde omnia efficiuntur, & facta perficiuntur. Appellatur & vnum, quoniam interea supereminet omnibus, neq; mouetur dum hæc inde procedunt, alioquin nihil alicubi permaneret: neq; diuiditur in partes, alioquin cessaret vnum ipsum: quo sublato mox omnia perderentur: neq; omnino multiplicatur in formas, alioquin ad missionem vel adiunctionem patiens, non esset amplius vera unitas et immensa simplicitas. Si per arbores, per animalia, per animam, per mentē processeris, inuenies quod in vnoquoq; horum simplicissimum est maximeq; vnum, esse omnium potentissimum, reliquorumq; principium. Similiter vniuersum ad unitatem rediges potentissimam, de qua nihil vltius prædicabis, cum primum concepisti unitatem ipsam vel bonitatem: alioquin siquid præterea prædicaueris, compones, & minues componendo, reddesq; indigum, & posterius. Noli ergo huic intellectiōnem addere. alia enim est ratio intelligentie, alia boni. Non enim æquè vtrunq; cui libet cōuenit. Intelligentia igitur adiuncta bono congeriem conficit, neq; igitur illic adhibebis ideas, quæ concipiuntur intelligentia, differuntq; inter se absolute ratione formali, præsertim contrariarum rerum oppositarumq; ideæ, quod patet ex ordine vniuersi inde secundum essentiam formamq; geniti. Quæ enim in hoc officio re ipsa differunt & subiecto, hæc in officio omnium intellectu absolute formalisq; differunt ratione: alioquin hic ordo formarum vel inordinato quodam casu consisteret, vel ex materia prorsus informi procederet. Distinctiones verò formales & absolutas adhibere primò Platonici vetant, prohibent etiam post unitatem vel bonitatem adhibere vitam aut essentiam, quorum nixus non quiescit in se, sed contendit ad bonum. Iubent primum illud super essentiam atq; esse ponere, sicut materiam quæ ex opposito vltimum est sub essentia, & esse iudicant collocandam: ideoq; sicut in attingenda materia descendendum est sub omnibus

omnibus intelligentie conceptibus qui formales sunt: sic ad attingendum illud super omnes eiusmodi conceptus est ascendendum: neq. mobili vel multiplici vel formali intelligentie actu attingi posse putandum, quod super motum multitudinemq. & so. mam mirabiliter extat.

Ipsum bonum est pater, cuius filius est intellectus, semper à patre plenus, huius autem intellectus est imago mundus.

Quemadmodum aliud est visus, aliud verò lumen, ad quod capiendum est oculus institutus, etiam si quis oculus fingatur ab eterno lumine plenus: sic aliud est intellectus, aliud verò verum ipsum atq. bonum, ad quod naturaliter intellectus annuitur: differtq. ab illo, etiam intellectus ipse, qui propter propinquitatem boni semper bono plenissime fruitur: Ipsi itaq. bono sicut et lumini nihil opus est visu. Iam verò si quis posset totius mundi visibilis ornatum totum vno simul intuitu contueri, supra modum admiraretur, ac velut ex imagine quadam facilius mundum intelligibilem opificem huius suspicaretur, sed admodum pulchriorem. Rursum si quis conspiciat illum, in quo nihil informe, nihil deforme, nihil immoderatum, vel vitæ vel intellectus experts, in quo totus splendor & in splendore purissimo totus ordo naturæ facilius conieceret. quis pater eius, & qua ratione tantum talemq. genuerit filium: intellectum quidem purum, & omnium plenitudinem pater penes se generans ab eterno, intellectu plenitudineq. superior.

ΠΛΟΤΙΝΟΥ

ΕΝΝΕΑΔΟΣ Γ,

ΛΟΓΟΣ η.

PLOTINI

ENNEAD. TERTIAE,

LIBER VIII.

ΠΕΡΙ Φύσεως καὶ θεωρίας καὶ τῆς ἐνδός.

De natura, & contemplatione & vno.



ΑΪΖΟΝΤΕΣ δὴ τὴν πρῶ-
την πρὶν ὀπιχρεῖν πα-
ράλειν, εἰ λέγομεν πάν-
τα θεωρίας ἐφίεσθαι, καὶ εἰς
τέλος ἔτι βλέπειν, καὶ μό-
νον ἔλλογον, ἀλλὰ καὶ ἄλο-
γον ζῶντα, καὶ τὸ ἐν τοῖς φυ-

τοῖς φύσιν, καὶ τὰ ταῦτα γινώσκον γὰρ, καὶ πάν-
τα τυγχάνειν καθ' ὅσον οἷόν τε αὐτοῖς, καὶ φύ-
σιν ἔχοντα, ἀλλὰ ὅτι ἄλλως, καὶ θεωρεῖν καὶ τυ-
χεῖν: καὶ τὰ μὲν ἀληθῶς, τὰ δὲ μιμήσιν καὶ
εἰκόνα τῶν πραγμάτων λαμβάνοντα: ἀρ' αὖ τις ἀνάγκη
τοῦ παραδόχου ἔχει λόγον, καὶ πρὸς ἡμᾶς αὐτῶν
γινόμενα κίνδυνος ἐσθ' ἐν τῷ παίζειν τὰ
αὐτῶν γινώσκονται. ἀρ' ἔτι καὶ ἡμεῖς παίζοντες
ἐν τῷ παρόντι θεωροῦμεν, καὶ ἡμεῖς, καὶ πάντες
ὅσοι παίζομεν, τὸ τῶν πραγμάτων, καὶ τὰς γε παί-
ζουσιν ἐφίεμενοι. Ἐκινδυνεύει εἰτε τις παῖς,
εἰτε ἄνθρωπος παίζει ἢ παρὰ δάσει, θεωρίας ἐνέκεν
ὁ μὲν παρὰ δάσει, ὁ δὲ παίζειν: καὶ πρὸς αὐτῶν πα-
σαι, εἰς θεωρίαν τὴν παρὰ δάσει ἔχουσιν: ἡ μὲν αἰαγ-
καῖα, καὶ ὁ πτωχὸς τὴν θεωρίαν ἐλκεται πρὸς τὸ
ἔξω, καὶ ἡ ἐκαστὴ λεγόμενη ἐπ' ἐλαττον μὲν, ὁ-
μως ὅτι καὶ αὐτὴ ἐφ' ἑσθ' θεωρίας γινόμενη, ἀλλὰ
ταῦτα μὲν, ὅσον: νῦν δὲ λεγόμενα πρὸς τὴν γῆν
αὐτῶν, ἔσθ' ἐνδρῶν, καὶ ὅλως φύτ'· τίς αὐτῶν θεω-
ρία, καὶ πῶς τὰ παρ' αὐτῶν πρὸς αὐτῶν γινώ-
μενα, ἐπὶ τῇ θεωρίας ἀνίσταται ἐνέοργον, καὶ
πῶς ἡ φύσις καὶ ἀφ' αὐτῶν φασι ἔσθ' ἄλογον



I antequam agamus seriò, Proemium.
quali per iocū dicamus, o- de contem-
platione.

petere, & ad finē eiusmodi
vergere, nō rationalia tan-
tū animalia, sed etiam ra-
tione carētia: quinetiā na-
turā plantarū, & terrā de-

niq. hæc omnia generantē. Itē contemplationē
omnia cōsequi, quatenus naturalis cuiusq. ha-
bitus capere potest: alia verò aliter cōtemplari
& cōsequi, & alia quidē reuera, alia verò per imi-
tationē imaginemq. attingere: si inquā ita di-
xerimus, nunquid nouū hoc præter opinionē
adductū quisquam à nobis accipiet? Forsan cū
tale quiddā inter nos, & ad nos agatur, pericu-
lum nullū subibimus, dū in re nostra ludemus.
Nunquid & nos iocātes ludent. sūe in præsen-
tia contemplamur? An fortē & nos, & omnes
quicunq. iocātur & ludūt, hoc agunt, huiusq.
appetitione iocantur? videturq. siue puer ali-
quis, siue vir ludat, aut seriò studeat, cōtempla-
tionis gratia hic quidē studere, ille verò ludere
atq. iocari, tū quælibet actio ad contemplatio-
nem intendere studiū: & necessarīa quidē actio
longius speculationem ad externa protrahere:
actio verò liberior breuius quidem educere, si-
mul aut ipsa quoq. speculationis desiderio fieri.
Sed hæc quidē opportunius in sequentibus:
nunc verò de terra, & arboribus, & omnino de
plātis cōsideremus, quānā horū speculatio sit,
& quo pacto q̄ inde fiūt atq. gignūtur, in specu-
lationis actionē redigere valeamus: deniq. qua
ratio natura quā imaginatiōis ratiōisq. exper